



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **OBALANA\*** IN CAMMARUNIA NOVA  
CONDITUR ECCLESIA NOMINE OBALANA Ad spirituale bonum atque regimen Christifidelium  
intra fines archidioecesis Yaundensis in Cammarunia degentium intendentes, Venerabiles Fratres  
Nostri S. R. E. Cardinales Congregationis pro Gentium Evangelizatione seu de Propaganda Fide  
negotiis praepositi, re mature perpensa auditisque eorum quorum interest votis, censuerunt nuper  
novam illic condendam esse dioecesim. Nos igitur, de universo Dominico grege solliciti, talem  
sententiam ratam habentes, haec summa Apostolica Nostra decernimus potestate. Ab  
archidioecesi Yaundensi distrahimus territorium Districtuum civilium, qui vulgo « Lekié » et «  
Haute-Sanaga » nuncupantur, ex eoque novam condimus dioecesim Obalanam appellandam,  
quam metropolitanae Sedi Yaundensi subicimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium  
Evangelizatione seu de Propaganda Fide obnoxiam facimus, cuius limites iidem erunt ac duorum  
civilium Districtuum, quos memoravimus. Praeterea iubemus Episcopi cathedram collocari in  
principe istius novae dioecesis templo, quod in ipsa urbe Obalana exstat ; cetera secundum  
canonicas leges temperentur. Quae nunc praescripsimus ad exitum perducet Venerabilis Frater  
Donatus Squicciarini, Archiepiscopus titulo Tiburniensis atque in Cammarunia Pro-Nuntius  
Apostolicus, vel ab eo delegatus sacerdos, factis nempe necessariis facultatibus. Re autem acta,  
documenta exarentur sincerisque exemplis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione seu  
de Propaganda Fide cito riteque mittantur. Has denique Apostolicas Litteras sive nunc sive in  
posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet non obstantibus. Datum Romae, apud S.  
Petrum, die tertio mensis Iulii, anno Domini millesimo nongentesimo octagesimo septimo,  
Pontificatus Nostri nono.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

*a publicis Ecclesiae negotiis*

JOSEPHUS Card. TOMKO

*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Ioannes De Riccardis, *Protonot. Apost. s.n.*

---

\*A.A.S., vol. LXXIX (1987), n. 11, pp. 1355-1356

© Copyright 1987 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana